DE LACTATIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM PRO LAUREA MEDICA...

Pietro Nicòli

DE LACTATIONE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

PRO LAUREA MEDICA OBTINENDA

EDIT

PETRUS NICOLI

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.

ALLA

MEMORIA BENEDETTA

DI MIO PADRE

Statim ac foetus ex utero materno in lucem prodit, novo influxui externorum agentium expositus, summo in periculo versaretur, ni natura mater solertissima, productioni non modo sed etiam conservationi entium innumerabilium favens, illius novae existentiae provideret. Revera vel neonati organa tali pacto modificantur ut externorum impressioni resistant, vel ipsa agentia, ad conservationem infirmi organismi necessaria, ita mutantur ut minorem vim exerceant et inde subigi queant. Priorem legem nos docent mutationes in neonati organismo sub prima respiratione contingentes; secundam lac, ille scilicet tenuis humor debilibus viribus digerentibus neonati conveniens, qui prorsus ad hoc vel maxime, ad primam nempe nutritionem, a natura formatur. Est lac nutrimentum non modo sed etiam potus neonati, et rationem physicam duplicis hujus officii nobis praebet divisio lactis emulsi in serum, caseum et cremorem. Adde quod lactis sapor gratus ad suctionem incitet.

Lactis materni conditio praeterea juxta neonati aetatem differt ita; ut tum hic humor tenuior observetur, quum infirmiores sint digerentes vires infantis, et dein sensim spissior evadat, ut ulterius nutritionis muneri sufficiat. Lactis insuper indoles valde differt pro variis foeminis, pro ipsarum physica et psychica conditione pro cibis quibus nutriuntur et similibus. Hinc analysis chemica in lacte varia detegit principia pro variis rerum circumstantiis expositis. Caeterum monendum lac prae omnibus liquidis a glandulis secretis azoto abundare et hinc optime nutrimenti officium solvere. Generatim clarissimus Berzelius cremore et lacte proprie dicto hunc humorem constitutum esse censet. Cremor lactis continet 4, 5 butyri; 3, 5 casei; 92, 0 seri in quo 4, 4 sacchari lactis et salium inveniuntur. Lac proprie dictum aquae 928, 75; casei cum parva dosi sacchari 28, 00; sacchari lactis 35, 00; hydrochloratis potassae 1, 70; phosphatis 0, 25; acidi lactici, acetatis potassae et lactatis ferri 6, 00; phosphatis calcis 0, 30 praesefert. Repetendum hujus analyseos productus pro variis

causis longe differret ita foeminae substantiis animalibus nutritae lac spissius minusque acidum offerunt ac illae quae vegetabilibus nimis indulgent.

Modus quo lac neonato offertur lactatio dicitur. Lactatio vel est naturalis, vel artificialis; in prima foemina lac praebet, in secunda animalium lac adhibetur. An prima vel secunda lactationis methodus praeferenda sit nec quaestio insurgit: animalium lac reapse a mulierum lacte differt saltem quoad principiorum proportionem, animalium lac digerentibus viribus humani neonati non respondet, saepe enim nimiam casei proportionem continet; naturam ergo sedulo sequamur donec licet, illamque omni studio imitari nitamur, si artem adhibere coacti simus.

Si autem foeminae lac illi omnium animalium ad infantis nutrimentum praestat, lac matris caeteris omnibus sane praeferendum. Vix natus infans materna ubera quaerit, ut a qua existentiam habuit illius conservationem repetat: vae matribus inhumanis, quae sanctum hoc officium recusant! eas moralibus non modo verum etiam physicis poenis natura multat; psychicis non modo verum etiam physicis deliciis privat; revera foeminae, quae lactationi dicantur, hoc munus adimplendo quadam inexplicabili suavitate donantur. Matres quae lactationem negligunt gravissimis morbis afficiuntur et prolem infirmam praeseferunt. Quae, naturae nutus despicientes, ubera proli negant febres lacteas vehementes patiuntur. Si humor ab uberibus secretus, prolis nutritioni dicatus, huic officio non inserviat, vel in mammis retinetur, vel massae organismi universi conjungitur. Lac in uberibus stagnans, quorundam auctorum juxta sententiam, coalescit, vasa galactophora obstruit, eorumdem parietes, qua corpus extraneum agendo, extendit et inflammat, dolores et cruciatus vehementissimos inducendo. Universae glandulae mammariae inflammatio hasce passiones sequitur, quam abscessus dolentes, diuturnae suppurationes aliquando solvunt; tum et quando vero, si foeminae habitus in scirrhos et cancros tendat, emphraxi primitivae induratio succedit, quae, mensibus cessantibus, scirrhosae degenerationis centrum fit. Si autem materies lactis secre-

tioni dicata per deficientiam stimuli suctionis non amplius ubera petat, humorum massa generalis augetur, plethora periculo referta locum habet, ni organa peculiaria ab organismo excedentem fluidi quantitatem educant. Sed non raro, quin ejiciantur, hi humores organa male disposita petunt, ibique morborum evolutionem juvant, qui procul dubio siluerint si humores per lactis secretionem in aequilibrio remanserint, atque irritatio per suctionem ad ubera translata fuerit. Donec foemina lac puero concedit, fluida continuo ad ubera tendunt, ibi humor secretus per suctionem educitur, nec alia ad organa refluit, atque hinc nullibi irritatio occurrit, ad quam compescendam necessaria sint remedia varia, quorum actio nunquam est innocens atque indifferens in organismo.

Foeminae, quae lac pueris negant, congestionibus, ulceribus, scirrhis aliisque uteri morbis obnoxiae evadunt: revera, mammarum functione cessante vel suppressa, uterus ob nexum intimum, quo cum uberibus jungitur, majorem sanguinis copiam recipit, et quum per praegressam graviditatem et partum recentem jam pathologico ferme in statu versetur, tanto humorum affluxui resistere nequit, fluoris albi sedes fit, et ni lochia recte fluant, emphraxibus tum et quando afficitur, ex quibus aliquoties et scirrhus et cancer originem sumunt. Rheumaticis quoque morbis aliquando vexantur hae foeminae; nam minime lactantes copiosorem cutaneam transpirationem offerunt, atque cutem sensibiliorem, et hinc facilius frigoris molestam impressionem persentiunt. Lochia non lactantis longe fluunt, puerperium difficile, aetas climaterica incommodis compluribus affecta.

Nec minora sunt damna quae a negato lacte materno infanti redundant. Nutrix mercenaria suppeditare nequit lac illius constitutioni respondens, non est enim simile humorum, quibus in utero nutriebatur. Lactis conditio, uti diximus variat pro varia epocha, qua illius secretio distat a partu, ergo ni nutrix eodem sane tempore ac mater peperit, lac conveniens offerre nequit. Et re quidem vera primum lac *colostrum* purganti actione qua pollet meconii evacuationi favet, tenuis-

simum facile digeritur, neonati erethismum optime sedat. Lac maternum tantummodo est consequenter conveniens, nam quovis momento, prouti filius crescit, illiusque vires digerentes validiores fiunt, majorem spissitudinem acquirit, et copiosioribus principiis nutrientibus donatur. Insuper adde quod quum filius directe a matre materiem organicam et vires repetat, ab illa solummodo recipere possit nutrimentum sui ipsius vigenti vel infirmae conditioni respondens. Quaedam foeminae morbo quodam chronico laborantes lac filiis recusant, ne morbum illis communicent; at unde conceptus est infans? ex matre, unde donec in utero remansit nutrimentum omniaque vitae necessaria recepit? ex matre: si ergo matris affectio ante partum aderat et filius ad illam saltem dispositionem jam retulit, quin lacti sucto nova mala tribuantur. Inficiandum tamen non est, quod nutrimentum labe quadam inquinatum, neonato ex conceptione jam male disposito oblatum, morbi materni evolutioni faveat, quum e contra alimentum sanum dispositionem valide emendare valeat. Filii vero et sanae matris et morbo affectae novis morbis affici possunt, si nutrices aegrotantes illos suscipiant. Nutrices domi degentes vel nimis laboribus indulgent, vel vino abutuntur, vel nutrimentis carent, vel affectibus animi torquentur, hinc lac plane insanum praebere possunt. Nutrices mercenariae matris familia receptae cibum prorsus mutant, vitae genus, affectus, et hinc lac qualitate mutatum saepissime secernunt. Lac indolem mutat pro substantiis ingestis: hinc quum remediorum proprietates referat si puer morbo laboret per lactis vehiculum medicamen offertur; an plures mercenariae nutrices inveniuntur quae medicum tractamen non respuant, ni aliud tentetur nisi infantis salutem hoc pacto firmare? Nutrices mercenariae saepe suam prolem relinquunt, aliusque foeminae infanti lac vendunt — forsan pessima mater bona et diligens nutrix evadere potest? Non raro nutrices gravidae factae, lacte privatae, ruri praesertim commorantes, infanti tenello loco lactis pultem propinant, aliae suis officiis incumbentes puerulos deserunt, qui tali ratione provido custodis oculo plane destituuntur. Nec parum praeterea morali-

tati adversatur affectus ille maximus quo prae matre puer inutricem prosequitur

Attamen tali pacto negare nolo tum et quando naturam psam matri lactationem prohibere; nam saepe si filio maternum lac concederetur et ipse et mater in maximo periculo versarentur. Quaedam vero molestiae quae non raro sub lactatione insurgunt et facili negotio vincuntur huc minime sunt referendae, ars enim naturae soror illius defectui provida subvenit. Hujus generis sunt: papilla male conformata vel fere deficiens, mammarum excoriationes et superficiales cutis scissurae, glandulae emphraxis. Si papilla nimis exigua sit tum et quando sub sola titillatione magis evolvitur et volumen acquirit suctioni conveniens; quod vero si fere omnino desit, vel male formata sit, vel a labiis sugentibus ita irritata ut excoriationes vel fissuras huc illuc praeseferat, artificiales papillae subveniunt. Tali artificio aegre quidem initio puer sugit, sed dein novae sugendi methodo assuefit et mater perfecte sanatur. Papillae artificiales ex uberibus vaccae aliquando formantur, hae tamen si debilibus infantibus conveniunt, alia ex parte facile flaccidae evadunt et prolabuntur, ita ut suctionem ferme negent. Simpliciores sunt et solidiores papillae gummi elastici a Salmer constructae. Papillae vices gerunt tum et quando quaedam lignea instrumenta, quae areolae imponuntur, papillam obducunt et lacti sub suctione exitum permittunt per foramina quibus sparsa sunt. Darbo, quum naturalis papilla reapse nimis exigua sit, illam longiorem reddit sic dicta mammarum antilia. Haec quum longo, flexibili et elastico tubo instruatur in apicem papillam artificialem eboris vel suberis ferente, matri suctionem permittit, ita ut tubus aëre privetur et lac facilius dein sugatur. Si excoriationes vel fissurae cutis areolae vel papillae adsint, nec sufficiant papillae artificiales propositae, linimenta ex oleo et aqua calcis composita, vel unguentum populeum in usum trahuntur; et Ledoux unguentum suadet ex mucilagine cydonei piri, alcohole, unguento populeo, cerato anhydro et nuce gallarum confectum. Si lac in mammis colligatur ita ut emphraxes occurrant, et ubera tumores duros,

dolentes huc illuc offerant, pulvinaria calida uberibus imposita et suctio frequens molestias omnes auferunt vel saltem mitigare valent. Alias turgor minus rapide procedit, minus extensum apparet, doloribus vehementissimis stipatur, pulsationibus, calore ut in tumoribus mere inflammatoriis. Hoc in casu cataplasmata ex farina seminum lini, vel medullae panis adhibeantur, hirudines applicentur numero abundanti, venaesectio fiat; uno verbo methodus antiphlogistica generosior in auxilium vocetur.

Divites debiles lac filiis recusant, haec tamen debilitas lactationi non adversatur si matris diaeta sit sana, regimen moderatum, et si praeter lac alimenta quaedam accessoria concedantur. Haec methodus debiles defendit a morbis compluribus, quos lactis suppressio saepe saepius inducit.

Non raro foeminae delicatulae, quum naturae nutui obtemperarent lac filiis donando, perfectam salutem reparabant, et incommodis praecedentibus liberabantur, atque firmiori compage majorique energia in potentias nocentes donabantur. Attamen tum et quando matris et infantis salus periclitantur sub lactatione materna, et tum uti diximus, nutrix matris officio fungi debet. Lac maternum deficiens vel qualitate peccans matri lactationem vetat. Foeminae, quae nimis juvenili aetate matres fiunt, parcam ut plurimum lactis copiam secernunt, et lactis excretio hoc in casu, quum individualem matris evolutionem impediret, est vitanda. Ita et matres aetate provecta raro sufficientem lactis quantitatem exhibent, quin incommodis quam plurimis afficiantur. Defectus attamen constans lactis cum istantaneo non est confundendus, nam saepe lactationis progressu hic humor abundat quamvis primis diebus puerperii fere omnino desideraretur. Pariter mater se lactationi subtrahere nequit si una tantum mamma lac secernat, nam nihilominus hujus humoris quantitas sufficere potest. Medicamina quae nomine lactigenorum vendebantur a sana praxi rejiciuntur, nam, quum parcitas hujus secretionis plurimis ex causis et plane diversis procedere possit, remediis prorsus diversis indiget. Ita relinquamus agyrtis mirabilem pimpinellae virtutem laudibus efferre.

Causae quae lactis secretionem parciorem reddunt vel sympathicae vel idiopathicae sunt. Si deficiens mammarum actio hunc lactis defectum inducat, suctio, titillatio papillae, externae frictiones functionem normalem reddere non raro valent. Causae sympathicae diversa ratione curantur prouti diversae sunt. Lactis qualitas mutata lactationem prohibet. Foeminis hinc, quae nonnisi lymphaticum, tenuissimum humorem secernunt, lactatio vetatur. Lac nimis solutum sugentibus infantibus nocet, nutritioni enim non sufficit et diarrhoeas atque cholicas flatulentas gignere valet. Hujus indolis lac saepe secernunt foeminae temperamento pituitoso praeditae, et organa digestioni dicata infirma praeseferentes. Quamvis a conceptione filius matris aegrae in morbum dispositionem receperit, tamen maternum lac sugere non debet, ne, uti exposuimus, citius validiusque in ipso morbosa affectio evolvatur, ne mater novas molestias sufferat.

Foeminae vero morbo laborantes tali ut per lactationem nutrici communicari possit, v. g. syphilide, scabie etc, lac filiis praebere debent et eodem tempore idonea pharmaca sumere: tali ratione lactatio nullum nocentem influxum in sugentem puerum exercet. Quidam credunt quod lactatio phthisi laborantium molestias et pericula imminuat, nos vero putamus, cum auctoribus celeberrimis, jacturam diuturnam nobilissimi humoris marasmum lethiferum validissime juvare. At etiamsi lactatio aegrae incommoda mitiora redderet, minime licet puero nutrimentum lethali labe infectum propinare, quum alioquin aliter lactis excretioni favere possimus. Eadem prorsus ratione lac infestum sugentibus evadit foeminarum rhachitide, erpetibus, scorbuto, scrofulis laborantium, vel etiam calculis, arthritide aliisque morbis, qui, experientia teste, in filios transmitti possunt per lac. Foeminae hystericae, si praesertim insultus haud frequentes, mitiores et brevi durantes patiuntur, lac filiis negare non possunt, quum praeterea quotidiana praxis nos doceat lactationem hisce in casibus non modo infantibus infensam non esse, sed quoque matris saluti palliative saltem consulere.

Matres quae choreis delectantur, vitamque in deliciis tu-

multuariis ducunt lactationi non bene inserviunt: timor vero pulchritudinis amittendae foeminas, quae magis formositati ac materno amori student, a lactatione non amoveat, nam naturae leges sequentes longius juventutis et Veneris lepores conservant.

Quidam inter causas, quae lactationi adversantur, novam gestationem in utero censent, alii contrariam sententiam amplectuntur, analogiis innixi animalium etiam sub graviditate ubera catulis offerentium. Qui primam defendunt opinionem putant graviditatem lac degeneris notae secernere, et consequenter lactationem vetare: at quum plures infantes optima gaudeant valetudine quamvis lac nutricum utero gestantium sugant, primis saltem gestationis periodis, mihi videtur quod in gestatione nutricis puero non lactis qualitas, sed illius parcitas noceat, quae certe contingere debet ob majorem humorem affluxum ad uterum et foetus evolutionem, et hinc quod primis mensibus utero gerens lactationem protrahere possit. Quum vero foemina ita humoribus abundet, ut hi et utero gravido sufficiant et uberibus lactantibus, longius lactatio produci potest: ita Van-Swieten historiam refert foeminae, quae sex pueris lac praebuit usque ad partus dolores quin ullum incommodum passa sit, quin filiorum salus ullum detrimentum sustulerit.

Foeminae lactantes menstruis salutatae si robustae sint lactationem suspendere non debent, id enim ex eo saepe procedit quod puer non sufficientem humorum copiam insumat: statim vero lactatio suspendatur si nutrix delicatula compage instruatur, tum vero jacturae abundantes matris marasmum producere, filii evolutionem impedire possunt.

Morbi acuti fere omnes lactationis suspensionem suadent, quum sub his lactis conditio mutetur, et pravos characteres hic humor recipiat. Hisce ex morbis variolae benignae, febris lactea etc. mitioris vis excipi debent Dum morbus acutus saevit, et lactatio materna brevi suspenditur, artificialis interim est substituenda potiusquam nutrix mutetur. Si sub lactationis progressu foemina vires et appetitum amittat, non est lactatio ultro producenda, ne nutrientium humorum jactura marasmum nutricis advocet.

Lactis profluvia, quae irritationem mammarum per suctionem inductam sequuntur, lactationis suspensionem requirunt, ne, irritatione continuante, lactis immodica secretio et excretio continuet, et hinc tabes lactea et febris ethica in scenam veniant.

Quum mansuetudo, hilaritas et affectus mites lactis bonam conditionem juvent, contrarii affectus lactis indolis omnino peccantis secretionem producunt, hinc praeter causas hucusque relatas maternae lactationi opponuntur iracundia matris, odium, invidia, zelotypia aliique affectus immodici, qui, quum per nexum inter cerebrale et gangliare systema intercedentem in humores omnes organismi influant, lactis quoque indolem depravare debent.

Expositis tali ratione circumstantiis in quibus maternum lac non est puero concedendum, nunc disquirendum esse censeo quale lac materno substituere debeamus. Lacti cujusvis animalis lac mercenariae nutricis est praeferendum, magis enim respondet naturae pueri nutriendi. Praeterea non semper idem est animalium lac, nam et hoc pro cibis, et pro variis conditionibus animalis diversas mutationes subit. Monendum quoque existimo quod quum perraro ex uberibus animalis puer lac sugere possit, liquidum quod sumit non vivat et jam pro parte saltem virium physico-chemicarum naturae actionem perpessum sit. Ut nutrix vero matris munere recte fungatur quasdam dotes habeat necesse est; et primo illius partus epocha ad epocham partus matris accedere debet, ut lac iisdem principiis scateat, iisdem proprietatibus donetur. Si nutrix aliquot menses ante matrem peperit, illius lac tenuior redditur diluentibus potionibus larga manu propinatis. Nutricis aetas praestans ab anno incipit 20 et ad 35 pervenit, tum organismus mulieris perfecte est evolutus, et lactis quantitas sufficiens secerni potest.

Nutrix perfecta gaudere debet valetudine, bonam compagem praeseferre et nutritionem modicam, nullam deformitatem corporis ostendere, ne puer per mimesim iisdem vitiis affligatur. Nutrices cachecticum habitum offerentes sunt omnino rejiciendae. Quae pilis nigricantibus vel badiis distinguun-

tur flavis sunt praeferendae: rubrae rejiciantur, grave enim ut plurimum olent, et scrofula non raro afficiuntur. Nutrices ubera majoris voluminis offerentes meliores non sunt; haec pinguedo mammas infirma vitalitate donatas esse detegit. Foeminae cutaneis eruptionibus obnoxiae, fluoribus albis, glandularum obstructionibus, lac rejiciatur. Moralitas nutricis summi est facienda. Quidam censent quod foeminis lactantibus coitus negari debeat, id vero non ego puto, nam instinctus sexualis coërcitus tristitiam nutricis inducere potest, et lactis qualitatem mutare vel saltem quantitatem imminuere. Post coitum vero non est statim puero lac tribuendum, nam orgasmus praegressùs imperfectiori lactis secretioni favet. Activa vita bonam lactis conditionem reddit, dum vita sedentaria in lac pessime influit. Aër serenus, liber nutrici est concedendus; hinc viae angustae, habitationes humidae nutricibus non conveniunt, idque eo magis si rustica civitatem petiit ut lactationi dicaretur. Diaeta nutricum valde influit in lactis conditionem, revera videmus lac principia referre saepissime substantiarum ingestarum. Diaeta semper sana sit oportet, quum vero variis pro circumstantiis differre debeat, de illa hic sermonem habere absonum puto. Generatim moneo quod nutrices vini abusum studiosissime vitare debeant, cibos sale conditos, acres et adstringentes, et medicaminum usum, ni necessitas adsit. Victus vegetabilis et animalis junctim ad amusssim conveniunt. Quae cibis nimis indulgent ut majorem lactis quantitatem producant falluntur, nam tali ratione digestio imperfecte procedit et lac inferioris notae paratur.

Primis vitae extrauterinae diebus frequenter neonatus uberibus admoveatur, dum sugit illius nares perviae sint oportet, ut respiratio progrediatur, ergo nutrix studiose nasi infantis compressionem, vel vestibus vel iisdem mammis, sub lactatione vitet. Non debet vero nutrix semper et nimia in copia lac puero praebere, nam tum sugens infirmis suis viribus digerentibus lac ingestum subigere nequit, foemina nimias jacturas patitur, et lac minus elaboratum offerre debet, nam quo citius secretiones contingunt eo minus perfectae sunt et quasi spastice formantur.

Ut lac bonae indolis habeatur non modo in mammis colligi verum etiam et ibi retineri debet per aliquot saltem horas. Lactis in mammis diu retenti consistentia illius perfectiorem elaborationem indicat. Aetatis progressu rarius puer ad mammas admovetur, nec semper nutrices infantum fletum lacte sedare debent, non semper enim nutrimenti desiderium lacrymas ciet, verum et aliae innumerae causae. Post pastum aliquod tempus quietis concedatur nutrici priusquam lac infanti praebeat.

Quum mater filio ubera negare debeat, tristes ob causas superius enunciatas, vel nutrix dotibus et proprietatibus expositis donata desideretur, lactatio artificialis in usum trahere oportet. Lactatio artificialis duplici ratione succedit, admovendo nempe puerum animalium uberibus, vel illi lac jam emulsum variis instrumentis propinando. Prima lactationis methodus est longe praeferenda, nam lac emulsum non amplius vita gaudet et inde naturae legibus de infantis nutritione non respondet. Capra et asina lactationi hujus generis optime inserviunt. Papillae mammarum vaccae nimio volumine suctioni adversantur. Caprae lac scrofulosis pueris bene convenit, nam systema lymphaticum excitat. Caeterum lac asinae magis lactis foeminae simile est. Caprae, quae lactationem persolvunt, materno fere amore puerum sugentem prosequuntur et sollicite illius lacrymis lac praebendo subveniunt. Si capra vel asina lac concedat, nutrimenta convenientia obtineat, prima saltus praediligit, secunda valles. Quamvis primis periodis molestiae plures huic lactationi adversentur, tamen dein pueri novo nutrimento assuescunt et inde optimam nutritionem repetunt. Lac emulsum, quod lactationi artificiali communiter dicatur, est vaccinum aut caprinum, quamvis analysis chemica lac asininum magis simile humani detexerit.

Prouti ad lactationem lac caprae vel vaccae adhibetur pueri hilares et activi, vel tardi evadunt. Lac animalium, praesertim primis vitae infantilis periodis, nimis densum est, nimiam casei quantitatem tenet, et hinc solvi debet ut vi digerenti conveniat neonati; hinc adduntur lacti, graminis decoctum,

aqua simplex, serum lactis, aqua malvae, hordei et similia. Fluidum, quod lacti additur, primis lactationis momentis quantitate praevalet, dein sensim sensimque imminuitur, ut tandem merum lac concedatur.

Quidam lac ebullitioni submittunt ut diutius servetur; tali pacto vero lac butyrum amittit, et saporem atque odorem ingratos acquirit. Animalia juniora lac melius offerunt, alimenta animalis nutrientis optimae sint notae et semper eadem. Ut lac emulsum puero propinetur quidam cochlearia suadent, quidam instrumenta peculiaria, ex quibus ope suctionis infans lac recipit. Medici distinctissimi cochlear lagenae praeferunt putantes quod suctio ex papilla artificiali vasis aëris quantitatem nimiam in ventriculum introducere queat, et hinc dolores, cholicae, diarrhoeae serosae et flatus evolvantur. Saepe vero haec damna plane desunt, et consequenter lagena papilla instructa artificiali quibusdam in paedotrophiis communiter adhibetur. Necesse tamen est frequenter lagenam lavare et papillam artificialem, quae ut plurimum spongia conflatur mutare, ne lac acescat. Hujusmodi instrumenta, quae communiter usuveniunt, a Lebreton vel a Darbo inventa sunt.

At lac nec foeminae nec animalis non semper nec omnibus in vitae sugentis periodis illius nutritioni sufficit. Tempus quo et aliae substantiae lactationi addendae sunt longe differt pro infantis constitutione aliisque momentis compluribus. Infantes aliquando magnam exigunt alimenti copiam ita ut frequens lactatio et abundans nutricis lac primis jam diebus nutritionis munus absolvere nequeant. Tum statim aliis substantiis praeter lac indigent; quae ni porrigantur fletus et spasmus pueri sedari nequit. Hi casus rarissimi sunt, atque communiter nutrices excedentem potius quam deficientem cibi alieni quantitatem pueris dant, et extranea alimenta ocyus potius quam sero concedunt, tum scilicet quum vires digerentes infantis nullum alimentum praeter lac sufferre queunt. Quibusdam casibus solummodo exceptis, donec lac nutricis nutritionis officio convenienter fungitur, medici censent nullum alienum nutrimentum infanti

concedendum esse. Habitis vero necessariis cautelis infantis conditioni, cito aliquid lacti addere praestat; tali enim ratione validiores digerentes vires infantes acquirunt, et si mater vel nutrix morbo afficiantur citius lacte privari possunt. Initio lactis additamentum magis conveniens est tenue papparium, quod temporis progressu spissius fit, donec solidiores substantiae digeri queant.

Hic lactatio cessat; ergo sensim sensimque puero lac negatur, et epocha qua id contingit longe pro diversissimis momentis differt. Hoc tempore infans per se vivere incipit peculiarem vitam quin alius ope indigeat; donec enim lactatio perdurat tam stricto nexu cum nutrice jungitur, ut ab illius conditione penitus pendeat, et quasi cum ipsa unum organismum constituat.

Lactis conditio, uti exposuimus, summum in sugentem influxum exercet; suctio hujus humoris in vitam universalem lactantis valdopere influit. Lacte puero negato, hujus existentia summo in periculo versatur, suctione cessante nutrix molestias perplures patitur.

Est ergo lactatio primae conceptionis consequentia. Primum et excellens materni amoris indicium matres lactando offerunt, non sub conceptione, gestatione aut partu. Lactatio prae caeteris omnibus causis a primis usque umbiculis filiorum animos in matres devincit. Hanc sane dilectionem non merentur matres, quae, nulla a causa plausibili a lactationis officio exoneratae, manibus mercenariis prolem relinquunt.

THESES DEFENDENDÆ

1. *Copiosae haemorrhagiae non semper largis venaesectionibus adversantur.*

2. *Remedia lactigena specifica desiderantur.*

3. *Membrana decidua, non post ovuli in uterum descensum, sed ipso foecundationis momento formatur.*

4. *Syphilis non nobis ex America lata est.*

5. *Medicaminum alta dosis ipsorum effectum saepe impedit.*

6. *Vermes intestinales ex aequivoca generatione nascuntur.*

7. *Cerebrum est efflorescentia spinalis medullae.*